



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

33 De iurisdictione sæculari in clericos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

optimus in c. pastoralis de except. late Hipp. in rub. C. de probatio. n. 12. Alciat. in tract. de presum. reg. 2. presumpcio. 10. Bar. in L. inter omnes. §. redit. ff. de furtis. Arcet. in L. in verum. §. quod ex naufragio. ff. de acquirit. possessio. quæ quidē conclusio tunc admittenda est, cum de modico præiudicio agitur: non autem vbi de maximo sit præiudicio agendum. tunc etenim maior ac certior probatio requiritur, saltem ea erit necessaria, quæ fieri ea de re communiter possit: vt notant Domin. in c. eos. de temporib. ord. in 6. Abb. in c. quosdam de presump. Felin. in c. cognoſcentes. de constitut. num. 14. & Hippolyt. in singul. 635. Vnde cū in hac specie de maximo agatur præiudicio: nempe de grau. ac enormi læsione reipublicæ, & iurisdictionis secularis: ac denique Bald. & Iasonis sententia non sit satis iure probata, nec conueniat criminum iustæ punitioni, minime mirabimur, etiam si viderimus, eam in praxi refelli. opinor equidem non esse iustum, eam admitti, præsertim recepta illa tantum probatione, cuius à Iasone mentio fit. Nam et si probetur plene votum olim à delinquente factum, non est omnino excludenda illa suspicio fraudis, quæ solet in hac specie subesse, ac contingere propter frequentes hominum cautelas, quibus passim vtuntur hi, qui iurisdictionem iudicis secularis ad liberius delinquendum effugere conantur. Sed & post huius operis secundam editionem, in Concilio Tridentino, cui ipse interfuit tunc episcopus Cuiatensis, anno Domini 1563. editum fuit decretum, quo sancitum est de his clericis primæ tonsuræ, *sessio. 23. cap. 6.* quo ad fori priuilegium, eos eodem minime gaudere, nisi beneficium ecclesiasticum habeant, aut clericalem habitum & tonsuram deferentes alicui ecclesiæ de mandato episcopi seruiant: vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel vniuersitate, de licentia episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versentur.

CAPVT XXXIII.

Agitur item de Iurisdictione seculari quo ad clericos, præsertim ad breuē iurisdictionem, capitul. si iudex laicus. de sentent. excommunic. in 6.

SYMMARIA.

1. Iudex ecclesiasticus, non secularis, cognoscit de quaestione illa: an clericus captus à seculari sit remittendus ad forum ecclesiasticum.
2. Exceptio declinatoria fori proponi potest à clerico apud iudicem secularem, etiam post sententiam, qua transitur in rem iudicatam.
3. Clericus quomodo probari possit.
4. Lite pendente apud iudicem ecclesiasticum, clericus detineri debet reclusus in carceribus.
5. Remissio clerici, cuius expensis fieri debeat.
6. Clerici primæ tonsuræ, qui simul Regiam, & secularem iurisdictionem deſpiciunt, que patiuntur iure Regio incommoda.
7. Clerici arma portantes, an possint per iudicem secularem puniri.

Solent non leues oriri contentiones inter iudices ecclesiasticos, & seculares super criminali punitione clericorum: & frequentissime controuertitur de his clericis, qui tantum primæ tonsuræ gradum assumpserint: cum de his puniendis iudices seculares, plerumque contendunt propter communem cum laicis viuendi rationem. Et tamen summus Pontifex in cap. si iudex laicus. de sentent. excommunic. in 6. regulam quandam edidit & constituit, ex qua certa posset assumptio definitio in ea quaestione, an pendente lite super exemptione & clericatu, sit statim clericus à iudice seculari captus remittendus ad ecclesiasticum vel manere debeat apud secularem, donec probatione, atque ordinaria cognitione fuerit decitum per sententiam, clericum illum habere priuilegium fori, & ideo remittendum esse, etiam quo ad principalis causæ cognitionem ad iudicem ecclesiasticum. Hæc etenim Pontificia responsio est semper præ oculis habenda: quia celebris est, & eam præter Doctores ibi maxime commendarunt Bald. in l. si qua per calumniam col. 2. C. de episcopo & clericis. & Capolla in consil. 11. col. 3. & consil. 10. qui quamlibet eius constitutionis partem peculiari adnotatione perpenderunt, idcirco & nos multa hoc in loco summam ad eius intellectum adnotauimus.

Primum illud est prænotandum, quod huius causæ cognitio, cuiusque definitio pertinet ad iudicem ecclesiasticum, non ad secularem: atque ideo iudex ecclesiasticus tractabit, an captus per secularem iudicem, vel apud eum accusatus sit clericus, & ecclesiasticæ iurisdictionis. Quod

probatum in d. c. si iudex. vbi huius rei ratio traditur ex eo, quod de re spirituali vel ecclesiastica sit agendum: id est de ordine. Eandem opinionem, quæ satis communis est probant, & sequuntur omnes in d. si iudex. & in c. unico. de clericis. c. iug. in 6. præsertim Francus illic, volum. 3. Rota iudices decis. 202. in nouis. Fulgos. in consil. 124. Alex. in consil. 8. col. 3. lib. 1. quibus etiam suffragatur, quod vbi contingit questio inter iudicem ecclesiasticum, & secularem super iurisdictione, iudex ecclesiasticus propter maiorem auctoritatem cognoscat, an sua sit iurisdictione. secundum Anton. Butr. in c. ceterum. col. 3. de iudic. Felin. & Dec. in c. pastoralis. in princip. de rescriptis. & Lat. in l. 2. ff. si quis in ius vocatus non ierit. col. 5. atq; ita apud Hispanos hæc sententia omnino feratur: si quidem iudex ecclesiasticus cognoscit de clericatu, de tonsura & vestibus. Quod non tantum iure Pontificio verum est, sed æquissima ratione constat: modo iudices ecclesiastici non temere, sed iuxta iuris canonici decreta, Romanorum Pontificum sanctiones, & ipsius reipublicæ vtilitatem negotium hoc, absque vilo animi peculiari affectu tractare, & expedire conentur, zelo quidem iustitiæ, non ambitione defendendæ iurisdictionis, & liberati sceleratissimos homines, reipublicæ pestem, & perniciem à iustissima iudicis secularium punitione. Apud Gallos huius controuersia cognitio ad secularem iudicem pertinet, ab eoque his tractatur, & expeditur non admittitur, nec recepta decisione Bonifacii octauo in d. c. si iudex. sicuti testatur Guid. Pap. q. 138. Io. Gallus q. 38. qui quidem authores conantur vsum istum forentem Gallia defendere, quasi non sit omnino contrarius responsioni Pontificis: quæ intelligenda est, quoniam de clericatu tractatur: vt tunc cognitio pertineat ad iudicem ecclesiasticum, non ad secularem: qui tamen poterit de causa ista cognoscere, vbi sit questio de vestibus clericalibus: an his fuerit vtilis, qui apud secularem accusatur, aut detinetur in carceribus. Sic sane Gallia iudicalem stylum præcari auctoritates, & intelligunt, & iure verum esse censent. Sed vt cunquæ sit, ipse non dubito, hanc opinionem Guidonis, & Io. Galli, falsam esse, & omnino contrariam communi omnium sententiæ, ac denique Pontificæ responsioni, quæ in hoc tendit, vt cognitionem clericatus, & eius quaestiois, vtrum captus à iudice seculari gaudere debeat priuilegio fori, deferat iudici ecclesiastico, non seculari. Id etenim, vel ex eo probatur, quod summi Pontifices, & eorum constitutiones formam præscripserint, qua in tonsura, & vestibus vti debent, & tenentur clerici, vbi constat. Et ideo iudices ecclesiastici ius habent, non seculares ac cognoscendum, an clerici iuxta canonicas sanctiones fori priuilegium amiserint ex eo quod tonsuram ac vestes clericales dimiserint: cum hoc totum negotium iuris sit Pontificij, non Cæsarei. Quamobrem non potest iure defendi forentis Gallia vtilis, etiam ita intellectus, vt Guido & Ioan. Gallus intellexerunt, præsertim, quod vtilis ille itidem obtinuit, vt iudex secularis nullo modo in casu cognoscat, an clericus captus sit remittendus ad iudicem secularem, siue agatur de ipso clericatu, siue de tonsura, vestibusq; clericalibus: vt fatentur Carolus Molin. in Alexandrum consil. 8. lib. 1. col. 3. & Ioan. Rupellanus lib. 4. forensium institutionum c. 6.

Secundo est & illud obseruandum, quod clericus alioqui quo ad criminalia exemptus à iurisdictione iudicis secularis, poterit hanc fori præscriptionem, & exceptionem declinatoriam opponere quocunque tempore, etiam post sententiã, quamuis ad eum vsque diem si ipse tacuerit ac seipsum defenderit, & litigauerit coram iudice seculari. Non enim potuit clericus hic consentire in iurisdictionem iudicis secularis expresse, nec tacite saltem in his criminalibus causis, vbi agitur de coercionem, & punitionem personæ. Hæc si diligenti de foro compet. c. significasti. eod. tit. c. at si clericus. in princip. de iudic. sic sane in hac specie notat Chassanatus in consil. Burg. rub. 1. §. 5. vers. Archi. n. 45. Nicol. Boerius in consue. Bituricensi. tit. de iurisdictione. §. 21. in si. & Io. Rupellanus in d. c. 6. præmittit Deci. in consil. 241. asseuerans, ita iudicatum fuisse. Huius opinionis ratio illa quidē reddi solet, quod Declinatoria fori, quæ reddit iudicium ab initio nullum ex defectu iurisdictionis, quæ nec prorogari potuit, nec prorogata censetur, potest quandoque etiam post sententiã opponi, & impedit executionem illius sententiæ, à qua posset alioqui appellari, quemadmodum tradit Fel. in c. exceptione. n. 28. de except. post Ant. Abb. & Imo. ibi tex. optimus secundum vnum intellectum in c. ad petitionem. de accusa. Imo hæc exceptio impedit executionem trientem

sententiarum: sicuti notat glossa ibi *Communiter* recepta in *Clem. 1. de re iudicanda*. atque ita intellecta ex alia gl. in *Clem. 1. de sequenti. possess. & fruct.* quarum interpretationem & nos tradere conati sumus hoc in opere, c. 23. m. 4. igitur sententia lata per iudicem secularē est omnino nulla, quamvis clericus taceat, nec fuerit vltus fori præscriptio. quod & Socinus respondit *conf. 12. lib. 1. col. 7.* quam sequitur Petrus Auendanius in *tract. de executis mandatis*, c. 22. n. 2. His accedit, quod & ipse iudex ecclesiasticus potest clericos repetere à secularibus iudicibus, etiam si ipsi clerici confessi fuerint, se laicos esse: sic etenim visum est Bald. in *l. si qua per calum. col. 2. c. de episc. & cler. Dom. & Frā. in d. c. si iudex. quorum opinio satis iure probatur, si consideremus rationem illam elegantem, qua vitur summus Pontifex in d. c. si diligenti. de foro competenti. Qua ratione mihi nō placet arrestum illud, cuius meminit Rebuff. in *leges Regias. 1. parte tractatus de sent. execut. art. 3. gl. 2.* dum refert à senatu decretum fuisse, quod clericus condemnatus à iudice seculari ad honorabilem emendam non possit executioni opponere primæ tonsuræ exceptionem. Nec enim Bald. ab eo citatus in *l. conradibus. col. 1. c. de non numer. pecun.* hoc ipsum quidquam iustificat, imo potius, ni fallor, improbat.*

Clericus vero, qui accusatus apud iudicem seculari omisit vsque ad sententiam, vel eius executionem opponere declinatoriam fori exceptionē, merito est in expensis condemnandus, secundum Nicolaum Boer. Decium, & Rupellanum paulo ante citatos post Felinum *col. 1. & alios in d. c. exceptionem.* vbi est textus ad huius conclusionis probationem satis celebris. Cuius autoritate idem tenent Aufser. in *Clem. 1. de offi. ordi. regul. 2. n. 33.* Egidius à Bellamera in *deci. 226.* quæ quidem expensarum condemnatio fieri debet per iudicem secularē: vt existimat Boerius: cuius opinio apud Gallos recepta est in praxi, teste Rupellano, qui tamen, & Decius probant contrariū, & id iure verius est: atque ideo iudex tantum ecclesiasticus iurisdictionem habet ad hanc condemnationem, non secularis: qui sicut non est iudex competens quo ad principalem causam, ita nec erit quo ad expensas, sicuti constat ex *Pan. in c. si diligenti. col. 1. penul. de foro compet. Bald. in l. si ex aliena. col. 1. ff. de iudi. & in l. generaliter. col. 2. c. de episc. & cler. vers. per hoc. soluitur. subdit tamē Dec. in d. c. 241. clericum ab his expensis oportere absolui ab ipso iudice ecclesiastico eo casu, quo post prolatam clericatus scripturā actor nihilominus apud secularē perisistit, ac perseuerat in accusatione, & sententiæ executione tandem in lite principali: cum ex hoc fit verisimile, quod & si in lite exordio reus fecisset fidem de clericatu, ab ea tamē actor non fuisset discessurus. Vnde nihil nocuit dilatio editionis & præsentationis scripturæ, quia clericatus probatur. Sed hæc opinio Decij merito displicet Ioā. Rupellano in *d. c. 6.* nam si ab initio clericus edidisset ac protulisset in iudicium scripturā clericatus, omnino euitaretur damnū illud expensarū, quod actori contingit, dum in causam litem principalem apud secularē iudicem hætenus persecutus est. Nam vbi actor producta scriptura clericatus remissioni consentiret, vel non refragaretur, plane statim remissio fieret, saltem nulla culpa notari actor posset: quod si ipsi remissioni contradiceret, hæc tractanda foret super sola remissione suspensio negotio principali, iuxta decisionem text. in *d. c. si iudex.* atque e ratione in vtrunq; euentum, si ab initio clericus literas clericatus produceret, vel se clericum esse dixisset, actor nullas fecisset expensas in prosecutione litis principalis apud iudicē secularē. Igitur opinio Decij non satis est tuta, nec iure probatur.*

Clericus autē iure ordinario, & regulariter probari debet per Scripturam. Quod deduci videtur ex *l. si qua per calumniam. c. de episc. & clericis.* vbi Iacobus Butri. & cap. *legum. 2. q. 1.* tradit late Rebuff. in *practica. beneficii. tit. de forma literarum. tonsuræ. num. 22.* & sequentib. probari tamen potest per testes, maxime vbi scriptura fuerit amissa & perditā. *testium. c. de testib. d. si solennib. c. de fide instr. gl. Communiter* recepta in *d. c. si iudex. in verbo. fuerit.* notat. Guid. Pap. q. 474. in hac tamen specie, quam tractamus, quoties agitur de iurisdictione iudicis secularis declinandæ ex causā clericatus, probari debet plene per scripturam vel per duos testes clericatus ipse: cum de maximo præiudicio tractetur: quod satis constat, & tenent Bald. Alberi. post Cynum in *d. l. si qua per calumniam.* text. optimus in *c. 1. n. c. fraternitatis de clericis peregrinis.* nam licet Bald. in *c. licet. vniuersis.* & illic Fel. de *testib. tal. in repetitione. d. ad-*

monendi. num. 198. ff. de iur. iurando. Hippo. in *l. 1. §. idem Cornelio. ff. de quæst. in fine.* Gerardus in *singul. 49.* Challanæus in *1. consuetud. Burgund. rub. 1. §. 6. vers. ponderanda. nu. 11.* scripserint, primam præiudicio non agitur. & Rebuff. in *d. tit. de forma literarum. num. 24.* & Matth. de Afflic. in *confit. Neapolitan. tit. 3. m. 12.* v. v. uerfiam inter iudicem ecclesiasticum & secularē, super iurisdictione in clericum exercenda contingentem, super tamen vera videtur opinio Bald. vbi vero non agitur de alterius præiudicio: & ideo temerarius esse censetur eandem sententiam huic contentioni aptare, quæ iurisdictione discutitur: cum ea res sit grauissimi, & enormis præiudicij. Quod sensit eleganter Ludo. Gom. in *regul. de cano. poss. fore. quæst. 36. n. 5.* qua in re cauendum est: nam quandoque Doctorum allegationes non satis distincte fieri solent. His accedit, quod vnus testimonium non est regulariter admittendum, *c. licet. vniuersis. c. veniens. & c. omni in rege. de testib. c. Deu. omnipotens. 2. q. 1. & §. 1. 2. quæst. 4. l. vbi numerus. ff. de testib. etiam si præclare sit autoritatis & dignitatis. c. ego sili. 9. dist. 4. gl. in c. sicut de sententia excommunicationis. cuius meminit Abb. in *c. cum in ecclesiis. de maioritate & obedientia. Fel. in c. post cessionem. col. 4. de probatio. textus optimus in cap. con. a nobis. de testib. & in l. iustur. andi. c. de testib.* notant Abb. & Da. c. in ca. confitens. de appellatib. late Iason in *d. repetit. admonendi. n. 189.* & Corasius *lib. 3. miscellanorum. c. 7.* & idem erit respondendū, etiam si de proprio factō testificetur, nullum inde concluditur commodum: adhuc etenim hoc testimonium non est sufficiens in præiudicium alterius, quem admodum tenent Paulus Castrensis in *conf. 337. si. 1. col. 3. vers. item non obstat.* quem secutus est Aymon Sauillanus in *con. 178. col. 3.* quamuis maior sit huic, quam alteri; adhibenda fides: vt tenent Socini in *conf. 22. col. 2. lib. 3.* tamē si idem Paul. de Cast. in *l. quæ. cum que. c. de seruus fugit.* probare velit, quod huic sit plena, & integra fides adhibenda.*

Fortassis in hac materia, quā tractamus, sufficeret primæ tonsuræ probatio per vnicum testem ad summariā cognitionem, vt clericus, captus remittendus sit statim ad iudicem ecclesiasticum, adhuc pendente lite super clericatu, & ante ipsius definitionem: sicut & ad hunc effectum sufficit fama publica: vel clericalis vestitus tempore delicti commisi, modo ante id temporis non fuerit laicus vestitus ipse clericus vsus: item sufficit communis æstimatio clericatus: vt explicat text. in *d. c. si iudex.* ex quo apparet, in his casib. esse statim remittendū clericū ad iudicem, vt ab ipso custodiat, pendente lite super clericatu, quæ ab eodē est examinanda, & definienda. Certius tamen est, vt opinor, quod non sufficiat vnus testis ad probationem tonsuræ, vt clericus captus statim ante omnia pendente adhuc clericatus questione remittatur ad iudicem ecclesiasticū. Nec enim casus hic par est, & similibus casibus illis, qui in *d. c. si iudex. laicus* exponitur: cum in illis consideretur status ille clericatus capti, quo utebatur tempore commisi criminis. Imo & hodie vnus obtinuit, remissione minime fieri, donec causā clericatus per ecclesiasticū iudicem sententia, quæ tranfuerit in rem iudicatā, fuerit finita. Quamuis statim iudex secularis teneatur super federe cognitioni criminis, & ad hoc possit compelli per iudicem ecclesiasticum suscepta prius summaria probatione primæ tonsuræ: quod satis deducitur ex *h. c. si iudex. in vlt. eius parte.* Quo quidē casu sufficere probatio tonsuræ per vnicū tantum testem ad suspensionis effectum, vt iudex secularis nulla vratur nouatione.

Quod si iudex laicus de criminali causa cognouerit aduersus clericum nondum ab eodem captum, qui tamen ad iudicem ecclesiasticū accedit petens, se pronunciat clericum, exemptum à iurisdictione seculari, & ideo per censuras canonicas possit, secularē iudicem inhiberi cognitione illius causæ, debet interim pendente lite, clericus hic detineri à iudice ecclesiastico in publicis & tutissimis carceribus, ita quidem, quod non dimittatur à carcere sub fideiussoribus, nec detineatur in ecclesia, aut monasterio his locis veluti carcere inclusus. Quod in maximam Reipublicæ vtilitatē, & quietem decretum est ab inuicissimō Rege Carolo Burgis, anno Domini M. D. XXXIII. [*hodie. l. 7. tit. 4. lib. 1. Recop.]* & rursus Pinciar. ab eius summo consilio, & senatu anno Domini M. D. XLV. alioqui, si clericus hic non detineatur reclusus in carceribus, capi poterit à iudice seculari, & in carcerem mitti. Idque non tantum fieri debet

debet pendente lite super clericatu, sed & pendente lite super ipsius criminis punitione. tametsi quidam iudices ecclesiastici conerunt Regia decreta intelligere, lite pendente super clericatu: quia ea finita nondum punio criminis liberum sit iudicib. ecclesiasticis, clericos iam per eorum iurisdictionem redditos & effectos immunes à iurisdictione seculari, item à carcere dimittere, vt delicta maneant omnino impunita, vt vere dici possit, in hisce clericis primæ tonsuræ, nihil aliud ordinem hunc ecclesiasticum esse, quam liberam delinquendi licentiã, & immunitatem tutissimã, qua freti audaciores fiunt ipsi omnino laici. Quod satis est à qualibet Republica bene instituta alienum.

Sed & quoties remissio sit à iudice seculari, clericus ipse remittendus est cum custodiibus expensis ipsiusmet clerici, quem admodum notant Aufser in Clem. 1. de offic. ordin. qu. 2. n. 2. idem Aufserius in capella Tholosana 273. Nicolaus Boerius decis. 303. col. penult. ex Bald. in l. generaliter. §. his presentibus. C. de rebus creditis. ar. 3. text. in l. quoniam liberi. C. de testib. & in l. cum sepe. C. de erog. milit. anno. li. 12. quod si clericus sit pauper, remitte nõus est expensis ipsius episcopi, qui remissionem petit, secundum eisdem. Et videtur notare Baldus in tit. de pace Constantin. §. si index.

Clerici autem primæ tonsuræ, qui semel vñ fuerint fori præscriptione aduersus iudicem secularem, eiusque forum declinauerint, petentes causã remissionem, & personæ ad iudicem ecclesiasticum, lege Regia indigni censentur publicis officiis secularibus. l. 17. tit. 3. li. 1. ord. idque æquissimum est auctoritate text. in c. sacerdot. ne clerici vel monachi. quo capite officia secularia clericis interdicta censentur. Huic auctoritati accedit ratio, quæ deducitur à publica vtilitate, cum esset maxime absurdum & iniquum, eos admitti ad officia publica secularia qui non possunt à iudicibus secularibus puniri, si deliquerint in officio. Siquidem clericus in minoribus etiam constitutus, qui ad officium seculare admittitur in eo deliquit, non poterit à iudice seculari puniri secundum gloss. & Docto. in d. c. sacerdot. quam Opinionem dixit Communem esse, licet apud Gallos minime receptam, Aufser. in d. Clem. 1. de offic. ord. reg. 1. fallentia 17. tradit late, & optime Guiliel. Benedic. in c. Raynuitus. de testam. in verb. & vxorem. 2. decisio. nu. 447. qua ratione Regia lex. in d. l. 17. etiam si permittat clericos coniugatos non deferentes tonsuram, nec veites admitti ad officia secularia, prohibet tamen, ad ea clericos primæ tonsuræ non coniugatos eligi & admitti: quod non satis diligenter seruatum hæctenus fuisse, palam constat. Hinc etiam deducitur ratio ad pragmaticam constitutionem Ioannis Regis Secundi, qua extat ante huius Regni pragmaticas. l. 109. li. 3. ord. tit. 1. l. 9. [hodie l. 4. tit. 4. lib. 1. Recop. Iest etenim statutum, clericum primæ tonsuræ iurisdictionem iudicis secularis declinat, ipso iure priuatum esse omnibus, & quibuscunque stipendijs, muneribus, & officijs publicis, quæ ab ipso Rege obtinuit. Atque siquidem est, quod clericis officia, vel munera secularia publica & Regia non obtineat, si eius iurisdictionem est fori præscriptione declinaturus. Hæc vero pœna forsitan non obtinebit, vbi super ipsa exceptione fori declinatorio non fuerit pronunciatum, nec exceptio habuerit effectum, quasi ad hanc pœnam non sufficiat solus conatus, nisi fuerit sequutus effectus. Quod ita visum est Bald. in l. si quis in suo in princ. ad finem. C. de inoffic. testam. & Fel. in tract. quando conatus. col. pen.

Est & illud hoc in tractatu commemorandum, Carolum Cæsarum, Hispaniarum Regem anno Domini M. D. XXVI. [hodie l. 5. tit. 4. lib. 1. Recop. Ipublico decreto statuisse clericos primæ tonsuræ, qui semel iurisdictionem secularem fori exceptione declinauerint, & fuerint ab eorum punitione liberati, non posse arma ferre, nec armis vti, etiam illis, quæ sunt alioqui Regia lege laicis cõmuniter permittæ: ac ideo posse per iudices seculares hisce armis hos primæ tonsuræ clericos licite exspoliari. Extat hoc Regis edictum Hispali: & rursus Granatæ, inter huius Granatenfis auditorij ordinationes, fol. 74. col. 2. quod quidem poterit examinari ex illa quæst. quæ tractari solet, an clericis arma portantes possint puniri per iudicem secularem. Et sane de interdicto armorum vsu generaliter extat rubrica Codicis Iustiniani, vt armorum vsus in scio principi sit interdictus, l. br. 11. & in auct. de armis. vbi hæc de re tradidit interpretet. & in l. armorum. ff. de verborum signifi. atque illic Alciatus & Catellia. Corta in memoria lib. in verbo. armorum. & alii statim citandi. Lex autem principis secularis, quæ de interdicto armorum vsu generaliter lata fuerit in Reipu-

blica vtilitate, dubio procul etiam clericos complectitur: cum & his iure Pontificio sint arma illa interdicta, quæ solent frequentissime varijs legibus laicis permitti. c. clericis de vita & honestate clericorum. Vnde palam sit clericos non posse arma portare, quæ lege laicorum sint interdicta. text. opt. in c. 1. §. si clericus. de pace tenen. & eius. v. alar. de eo tantum articulo controuerti, poterit, an super hæc re & interdictis armis clerici possint per iudices seculares puniri. Nam Ioan. de Platea in §. item lege talia. instir. de publi. ind. col. 3. & Ioan. Lup. in c. per vestras. de donationibus inter virum. & vxorem. 2. notab. §. 1. nu. 13. existimat pœnam legē seculari statutam, & dictam portanti arma vetita, non posse peti contra clericum apud iudicem secularem, sed petendam esse apud ecclesiasticum etiam si pecuniaria sit. Quod mihi admodum placet. Imo fortassis tenebitur iudex ecclesiasticus pœnam illã aduersus clericum exequi, sed poterit iuris canonici pœnis, & pecuniaria multa eius arbitrio clerici punire. Apud Gallos ex priuilegio Romanorū Pontificum obtentum est, posse clericos per Regios iudices puniri pena pecuniaria propter armorum vsu lege Regia vetitum, quemadmodum tradidit Ioannes Faber l. additio. de episcop. auctoritate. Chastaneus in consuetud. Burgundia, rubr. 1. §. 5. verj. Archid. nu. 79. Carol. de Grassalia l. 3. regalium Francia, iur. 17. Aufser. in Clement. 1. de offic. ordin. reg. 1. fallentia 13. Guiliel. Benedic. in c. Raynuitus de testamento, in verb. vxorem nomine Adelaian. 2. decisio. 436.

Vt cumque tamen sit, ipse censeo, clericum quemcumque arma prohibita portantem posse per secularem iudicem, & ministrum laicæ iurisdictionis armis his exspoliari, & priuari absque vilo metu excommunicationis: quia hoc ad secularem iudicem, & Reipublicæ rectorem dubio procul pertinet, nec cõpelli poterit iudex secularis à iudice ecclesiastico arma illa restituere. Siquidem laica lex arma prohibere potuit: eaque prohibitio clericos etiã complectitur, vt probauimus superius. Et licet non possit iudex secularis punire clericum arma prohibita portantem, pœna etiã pecuniaria, ipsa tamen arma exacte perpendantur, aut examinentur vt docet eleganter Corneus cons. 20. li. 3. cui adde Alexandrum in l. possideri. §. Neratius. ff. de acquir. possess. Rom. & Alberic. in l. 1. §. hoc rescriptum. ff. ad Syllanianum. & Bald. in l. 3. §. 1. de offic. præfect. vig.

CAPVT XXXIV.

Inquiritur adhuc, an quandoque possit à laicis Forum seculare declinari in criminibus puniendis.

SUMMARI A.

1. Laicus qui simul cum clerico delictum commiserit, an possit seculare iudicium declinare?
2. Coniunctio societatis, & indiuiduitatis ratione, socius fruatur priuilegio s. r. sui socij & ibid. inuoluit. l. si communem ff. quemadmodum seruatus amittatur.
3. Penitentes ex iudicio ecclesiastico sententia, non sunt quo ad alia crimina iudici ecclesiastico subiecti: vt necessario sint apud eundem accusandi.
4. Expenditur intellectus, c. aliud 11. ...
5. Intellectus ad textum in c. ubi commissi §. nec non faciendi de heret. in 6.

Solet interdum, etiam à laicis iurisdictione secularis declinari ad effugiendam criminis punitionem, & ex ea causa plures disputantur, ac examinantur quæstiones, & inquiruntur casus, quibus laici immunes liberique censentur à iudicibus secularibus: ex quibus apud authores frequentissimus est ille, quo traditur, an iudex ecclesiasticus excluso prorsus seculari possit cognoscere de crimine commissio, & perpetrato simul à laico & clerico, non tantum ad puniendum ipsum clericum, sed & ad ipsius laici punitionem. Et sane quidam opinantur, cognitionem & punitionem criminis simul à clerico, & laico commissi ad iudicem ecclesiasticum pertinere non ad secularem, etiam quo ad laicum, vt tandem is sit ab ecclesiastico iudice,

V V V 2 non